HYMNUS SACER:

SIVE

PARAPHRASIS

IN

DEBORÆ

ET

BARACI

CANTICUM,

Alcaïco Carmine expreſſa.

E Libro JUDICUM. CAP. V.

———— Divina *canamus*,
Non omnes Arbuſta juvant, humileſque Myricæ.
Virg. Ecl. 4.

Autore *W. BOUCHERY*, Incept. in Art.
Coll. *Emman.* Cant.

CANTABRIGIÆ:
TYPIS ACADEMICIS,
Impenſis *Edm. Jeffery* Bibliopolæ *Cantab.* Proſtant venales *Londini* apud *Jac. Knapton* Bibliop. in Cœmeterio D. *Pauli.* MDCCVI.

HYMNUS SACER:

SIVE

PARAPHRASIS

IN

DEBORAE

ET

BARACI

CANTICUM,

Metrico Carmine expressa.

E Libro IUDICUM, CAP. V.

Lectu omnibus Sacrorum Pectori, tum Philologis Musis
Vtile. Tel. 4.

Autore P. J. DUBOULLAY, Presbyt. in Aur.
Coll. Lemovic. Olim.

TYRIS, Apud Auctorem.

Imperante Ludov. XVIIIo Bibliopolae Claves. Prollant venales Lemovici apud
Auct. Aemptes Bibliop. in Cemeterio D. Petri. MDCCVI.

ALMÆ MATRI,

ACADEMIÆ

CANTABRIGIENSI,

Ejúſque omnibus Alumnis Literatis,

Præſertìm Sacræ Poëseos amantibus,

Proſpera omnia exoptans,

Haſce ſuas in Re Poeticâ Primitias

Humillimè dicat dedicátque,

Academiæ ejuſdem Illuſtriſſimæ

Filius Obſervantiſſimus,

W. B.

ALMÆ MATRI,

ACADEMIÆ

CANTABRIGIENSI,

Tuique omnibus Alumnis Literatis,

Præcipuis Sacræ Poëseos amantibus,

Hoc opera omnia exoptans,

Hæc tua in Re Poetica Primitias

Humillimè dicat dedicatque,

Academiæ ejusdem Illustrissimæ

Filius Observantissimus,

W. B.

HYMNUS SACER:

SIVE

PARAPHRASIS

IN

DEBORÆ & BARACI

CANTICUM.

INSIGNE victis hoc ſuper Hoſtibus
Effudit olim DEBORA Canticum;
Carmen Triumphans hoc BARACUS
Ad Citharam ceciniſſe fertur.

A Summis

Summis JEHOVAM tollite Laudibus,
Ejúſque claram dicite Gloriam;
Honore, Mortales, JEHOVÆ
Perpetuo celebrate Nomen:

Ultus prophano qui Populo ſuper
Eſt ISRAELIS progeniem ſacram,
His fata vertens Servitutis
Triſtia in altiſonos Triumphos.

Primùm ut ſerenâ fulſit Adoreâ
Laudandus ille & Magnificus Dies,
In Bella quo turmæ volentes
ISACIDUM ſimùl irruebant.

Audite,

Audite Reges, atque ſtupeſcite;
Audite magni Vos quoque, Principes,
Ut ipſa Nomen glorioſum
Fœmina nunc reſonet JEHOVÆ.

Audite Reges hæc CANANITICI;
Timere noſtrum diſcite jàm DEUM;
Gentémque divexare Bello
Deſinite ISACIDUM ſacratam.

Aſtate magno perdomiti metu,
Dùm pando Vires magnificas DEI;
Dùm facta mirandi JEHOVÆ
Eloquor attonitas in aures.

Audite; Laudes nàm DOMINI canam;
Laudes in Ejus ſponte Modi fluent:
DEUM ISRAELIS præpotentem
Carminibus celebrabo lætis.

JEHOVA cùm de Culmine Montium,
Jugíſque SEIRI venit ab arduis;
Cum venit è campis IDUMES,
Jura pia ut daret ISRAELI:

Concuſſa Tellus intremuit metu;
Defluxit Imber largus ab Æthere,
Nubéſque vim fudêre Aquarum,
Præteriiſſe DEUM fatentes:

Fluxere

Fluxere ſummis & Juga Montibus
Soluta; SINÆ celſa cacumina
Fluxêre, adeſſet dùm JEHOVA,
Omnipotens DEUS ISRAELIS.

Linquente Cœlum ſic DOMINO ſuo,
Turbata Rerum Fabrica nunc ſtetit,
Dùm Conditor deſcendit Orbis,
Ferret ut ISACIDIS ſalutem.

Tùm venit atris undique Nubibus,
Denſâque circùm Nocte reconditus;
In Luce venit nunc apertâ,
Hoſtibus ISACIDUM timendus.

Sedente

Sedente quondam Judice SHAMGARO,
(Quanquàm Ille Bello non foret impotens)
Dextrâ priuſquàm liberare
Auſa JAEL Genus eſt JACOBI:

Rari exiêrunt è Domibus Viri,
Martis timentes ſæva pericula;
Calles viarum derelicti,
Nec pedibus jacuêre triti.
Deſerta fecit tunc metus Hoſtium;
Omnis viator devia tranſiit;
Villæ repleri deſiêrunt,
Oppidáque, ISACIDUM per Oras.

Hoſtes

Hoſtes premebant; hos Ego DEBORA
Turpem coëgi carpere dùm fugam,
Meáſque vires ſuſcitata
Exerui, velut alma Mater.

Finxit JACOBI Gens nova Numina,
Verúmque demens deſeruit DEUM;
Quo fonte derivata Clades
In Populum miſeranda fluxit.

Hinc ſemper, altis Urbibus imminens,
Quaſſavit Hoſtis Mœnia Barbarus,
Et Cœlitùs demiſſa ſemper
Bella nova incubuêre portis.

Non

Non ulla Virtus, non Animus fuit
Adverſùs Hoſtes Arma capeſſere;
Priſcæ ſed illis prægravatæ
Criminibus cedidêre vires.

Inter Virorum plurima Millia,
Diſperſa in omnes ISACIDUM plagas,
Scuto induebat nemo pectus,
Nemo manu quatiebat Haſtam.

Armis carentes, attoniti metu,
Heu! præda facti ſunt levis Hoſtibus;
DEO, atque telis deſtituti,
Grande Scelus graviter luêrunt.

Ut ergò toto Pectore diligo!
Specto ùt triumphans ISACIDUM Duces,
Qui tàm volentes liberandâ
Pro Patriâ ſubiêre Pugnas!

Vos NUMEN altis tollite Laudibus,
Ejus Triumphos edite nobiles,
Qui jàm patentes, Jus daturi,
Urbium ad introitus ſedetis!

Vos qui nitentes nunc Aſinas ſuper
Vecti, atque priſcis Principibus pares,
Non impedito liberata
Circuitu peragratis Arva.

Jam ſueta Vobis reddita Gloria eſt,
Et veſtra fulget priſtina Dignitas;
Jàm rurſùs exercere Jura,
Et veteri licet ire Pompâ.

Gaude, Viator, quiſquis iter tenes;
Jàm nempe ſoſpes Rura perambulas,
Dùm nullus obſcurâ Viarum
Valle latens tegit arma Miles.

Gaudete, pulchras qui vehitis Domum,
Mercéſve in Oras mittitis exteras;
Ceſſant in Agris jam Rapinæ,
Pace jacent & aperta Rura.

Gaudete passìm Vos quoque, Virgines,
Lympham haurientes ad vaga Flumina;
Gaudete, quas nullus sonanti
Jàm trepidas fugat Hostis Arcu.

Lætare campis, Pastor, in omnibus,
Ducens quietos nunc Ovium greges,
Dùm nemo, Sylvis delitescens,
Insidias meditatur, atris.

Vos per Plateas, per Loca Publica,
Cantate nostri Justitiam DEI,
Qualíque dextrâ Liberavit
ISACIDUM, Bonus Ultor, Urbes.

Cantate, Villas omnis ut incolens
Tuto otietur ſub Lare Ruſticus,
Claudi coactus jàm nec intra
Mœnia, nec validas in Arces:

Nunc, cùm JEHOVÆ Gens ſacra Maximo,
Secura cunctis undique ab Hoſtibus,
Deſcendit ad Portas patentes,
Jura vigent ubi rurſùs æqua.

Conſurge lento, DEBORA, ab Otio,
Depelle ſomnos, & cane Carmina;
Jamjàm canentem te decebat
Pectoris exeruiſſe vires.

Consurge, captos sub tua Vincula,
BARACE, ducas hos, Dominos prius;
ABINOAMI Nate, surgas,
Magnificos & agas Triumphos.

Ducas Triumphos ad DOMINI sacras
Ædes, & Aras imbue Victimis;
Pias per Urbem ne moreris
Protinus explicuisse Pompas.

Nostro JEHOVA nam Duce, & Auspice,
Est facta Victrix ISACIDUM Manus,
Atque Hoste prostrato potenti,
Est Dominis dominata Terræ.

Parvæ

Parva hæc ſuperſtes quæ fuerat Manus,
Diúque ſævum pertulerat Jugum,
Jàm Fœminæ fauſtis ſuperbas
Auſpiciis domuit Catervas.

Canamus ergò Magnanimas Tribus,
Quæ vindicârunt Vi ſibi Patriam;
Has jure præclaras per Orbem
FAMA Tubâ reſonet perenni.

Ex EPHRAÏMI littore proximo
Ad dimicandum Pars bona prodiit,
Oris ab illis, quà recondit
Mons AMALEK caput inter Aſtra.

Gens·

Gens EPHRAÏMI, nil trepidans, sua
Vel prima misit Fratribus Agmina;
Tuóque, BENJAMINE, multi
E Populo petiêre Campum.

Quin &, MANASSE, de Sobole tuâ,
Tulêre sese ad Prœlia principes;
Venêre scriptores periti
Finitimis ZEBULONIS Oris.

Pugnare, texit quos sacra purpura,
Dignata magna est Nobilium manus;
Sumpsêre Docti tela dextris,
Quíque prius coluêre pacem.

Venêre in Armis Auxilio tibi,
Ex ISSACHARO, DEBORA, Principes;
Demisit Omnes ISSACHARUS;
Et Pedibus petiêre Valles.

Illi, BARACO se Comites dabant:
REUBENUS at quòd se procul abstulit,
Nec venit ad communes Bellum,
Corde graves premimus Querelas.

Cur te tenebas inter Ovilia
REUBENE? vilis murmura quòd Gregis
Audire malles quàm Tubarum,
Corde graves premimus Querelas.

JOR-

JORDANIS ultra GADDUS Aquas manens,
Bello indecorum prætulit otium,
Magnos recuſans ob Triumphos
Exiguum ſuperare Flumen.

DANNUS remanſit Navibus in ſuis,
Tutáſque Merces linquere noluit;
Remanſit & proles ASHERI
In Sinubus Pelagi remotis.

Cur tale veſtras Dedecus in Domos,
Magníque Natos incidit ISACI?
Cur ora Vos diſtans Viarum,
Aut mala detinuêre Lucra?

Non gessit isto se ZEBULON modo,
Nec sic refugit prœlia NAPHTHALI;
Tractare non cessavit Arma
Nobilium Domus illa Fratrum.

Sprevêre Belli cuncta pericula,
Duxêre Vitas & nihili suas;
Campis in altis glorioso
Se simul exposuêre Letho.

Venêre Reges ad fera prœlia;
Ad Bella multus Rex CANANITICUS
Descendit, ad Flumen MEGIDDI,
Inque patens TAANACHIS Æquor.

Venêre in altis Curribus arduî,
Et ſæva Nobis tela paraverant;
At fuſi in armis & fugati
Triſtibus ingemuêre Pugnis.

Quaſcunque Prædas nam modò nobiles,
Quodcunq; & Aurum mentibus hauſerant,
Sic perdidêrunt: ſic Triumphi
Spes animis cecidêre vanæ.

Demiſſa nam ſunt Æthere Fulmina,
Et mixta dirâ Fulgura Grandine;
In SISERÆ turmas ſuperne
Illuvies cecidêre Aquarum.

Sic pro JACOBO prœlia miſcuit
Cœleſte NUMEN, Syderáque omnia;
In SISERAM pugnavit alto
Angelicus Chorus ipſe Cœlo.

KISHON, adaucto Gurgite, SISERÆ
Sublata merſit Corpora Militum;
Antiquus Omnes iſte Torrens
Verrit Aquis rapidis in Altum.

Non Bella Ripas Rivulus ad ſuas
Tam magna quiſquam viderat anteà;
KISHONIS hæc abſorbet omnes
Palma recens veteres Triumphos.

Sic parvus Amnis fit celeberrimus,
Famâque vincit maxima Flumina;
Jàm cedat EUPHRATES KISHONI
Quíque fluit tot in Ora NILUS.

Gesti superbo, Mens mea, Gaudio,
Gesti Triumphos magnificos agens;
Robur Potentûm proruisti,
Vis validum tua strávit Hostem.

Tunc est Equorum multa ferocium
Effracta Campis Ungula saxeis,
Dum Prœlio effugêre Victi,
Præcipites Dominos ferentes.

Campis

Campis in illis ſparſa Cadavera,
Robuſta quondam, Quadrupedum jacent,
Calcare qui terram ſolebant,
Et tumidis volitare Collis.

Dira in MEROZAM (ſic jubet Angelus,
Cœli Miniſter) dicite Carmina;
Cives MEROZÆ, luctuoſâ
Ut pereant Nece, devovete:

Quòd non tulerunt Auxilium DEO,
Inter JEHOVÆ Prœlia pro ſuis:
Cùm præpotentis robur Hoſtis,
Vínque DEUS domuit ſuperbam.

Supra

Supra ſed omnes ſit tua Fœminas,
HEBERE, miris fauſta modis JAEL;
Beata Matres inter omnes
Nobilis hæc Mulier vocetur.

Magnum Illa geſſit nàm facinus Domi,
Belli quod omnes vicit Adoreas,
Perque omne ſic illuſtris Ævum
Inſolitos merita eſt Honores.

Nam cùm profugit Dux ferus Hoſtium,
Gravíque venit feſſus anhelitu,
Ultrò illa tectis hunc recepit,
Et placido ſimul ore riſit.

Roganti

Roganti Aquarum vilia Munera,
Lac illa magno præbuit Hoſpiti;
Manu benignâ Lac coactum
Eximio tulit illa Vaſe.

Ponens ſed iſtas Blanditias, Duci
Mox dormienti non dedit Oſcula:
Mutata jàm mentem benignam,
Exitium eſt meditata ſævum.

Firmante tandem NUMINE Brachia,
Dextrâ ſeveri robora Mallei
Prehendit, & Clavum Siniſtrâ
Corripuit, Faber ut peritus.

Percuſſit

Percuſſit Hoſti Tempora Malleo,
Ictúque Clavi cùm penetraverat,
Complevit audacem Triumphum,
Colla ſolo penitúſque fixit.

Fruſtrà movebat Membra recalcitrans,
Levare fruſtrà ſe voluit miſer;
Illa impetus Luctantis omnes
Fœmineo domuit duello.

Tùm non viriles concidit ad Pedes,
Proſtratus ictu concidit unico:
Pronus recumbens ante Matrem,
Et veluti Venerans, ſeveram.

Cervice cæsâ procubuit solo,
Dimovit illinc Membra nec ampliùs;
Ductoris inclinata moles
Mortua sic jacuit superbi.

At Mater absens, anxia pectore,
Hæc SISERÆ inter fata miserrima,
Jactata mentem est, hinc Timoris,
Inde Spei variis Procellis:

Mox, inquieto turbida Gaudio,
Scandit citato summa Domûs gradu;
Respexit illinc de Fenestrâ,
Talia voce loquens tumenti.

" Cur

" Cur hoc Domorum Culmine non mei
" Cerno Triumphos ardua Filii?
" Ceſſant quid Orbes huic Rotarum?
" Quid rapidum remoratur Axem?

Cui reddidêrunt talia Virgines
Reſponſa; demens quin ſibi reddidit,
" Secura Fati: Nonne Victor?
" Nonne bonis Avibus redibit?

" Diviſa nondum eſt Præda Duci meo?
" Diviſa toti non ſpolia Agmini?
" Non Virgines per Bella captæ
" Militibus cecidêre cunctis?

" Præclara dudùm non tibi, SISERA,
" Donata ſorte eſt Prædáque multiplex,
" Manu peritâ picta utrinque,
" Et varios referens Colores,

" Quæ te decoro tegmine veſtiat,
" Victoris ornet colláque fulgida,
" Dum Currus incedit, Triumpho
" Te revehens mediam per Urbem?

Sic illa dixit, plurima Filii
Trophæa fruſtrà dinumerans ſui;
Nam verba portavêre longè
Vana Noti rapidas in auras.

Fata

Fata accidêrunt omnia SISERÆ
Non ominatis triſtia caſibus;
Ictúque Dux extinctus uno,
Fœmineâ cecidítque dextrâ.

Non vectus ille eſt in Patriam redux,
Non chara Matris fuſus in Oſcula eſt;
Sed frigidum longè Cadaver,
Exitio jacet indecoro.

Et ſic, JEHOVA, ô ſic Tibi concidant
Hoſtes prophani morte miſerrimâ,
Et quiſquis audet bella contra
Te, Populúmque tuum, ciere.

At ſacra quotquot Jura colunt tua,
Et Te fideli Pectore diligunt;
Fruantur ô Rebus ſecundis,
O vigeant, radiéntque clari:

Sol ipſe qualis, de medio die,
Fulget ſupremum vectus in Æthera,
Cùm Lucis ardens & Caloris
Viribus irradiavit Auſtrum.

Hæc magna cantans cum Duce Fœmina,
Terram quieto rexit in Otio,
Omnes revolventes per Annos
ISRAELÎTÛM veneranda Gentil.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 2. Lin. 8. poſt Triumphos pone:. P. 8. l. 4. pro cedidêre lege cecidêre. P. 15. l. 6, & 7. principes, & ſcriptores lege literâ majori.

ERRATA.

Pag. 2. Lin. 8. post Triumphos pone : . P. 8. l. 4. pro cedidere lege
cecidere. P. 15. l. 6, & 7. Principes, & scriptores lege litera majori.